



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

5. De Clericis sacris Ordinibus initiatis, & de Religiosis matrimonium
ineuntibus. Et an tales non solum committant sacrilegium, sed sint de
hæresi suspecti, & qua poena puniendi sunt? Et an ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Juncto n. 20. Genuen. in praxi cap. 68. num. 13. Pegna in direct. par. 2. comm. 51.

4. Hinc Aloysius Barjola in aphor. lit. V. ver. uxor. 6. 2. si assertio: Si quis aliquam ducat uxorem priore vivente, hoc spectat ad S. Officium, & ex decreto Vrbis confessi, vel convicti præmissa tortura in forma abjurat de vehementi coram Congregatione, & ad remum transmittuntur per quinquennium, vel per septennium poenitentis salutaribus injunctis Inquisitionis arbitrio. Ita ille.

5. In nostra verò Inquisitione Hispanica hi abjurant tantum de levi, ut observat Suarez de fide disputat. 24. sect. 2. n. 4. Emanuel Moura de incant. opusc. 1. sect. 3. c. 3. n. 8. Soula in aphor. Inquisit. lib. 1. cap. 35. n. 20. & non torquentur ut observat idem Soula de Confessione, tract. 2. cap. 13. concl. 3. n. 11. Et ratio est, quia tales ut plurimum præsumuntur contrahere binas nuptias ex luxuria, vel cupiditate lucranda dotis; secus autem si rei essent ex provincia infecta hæresis Calvinianæ & Lutherana; nam in tali casu abjurarent de vehementi, & ego illos torquerem, nam ex natione infecta oritur contra illos vehemens suspicio de hæresi. Vide Emanuele Moura de ensal. sect. 3. cap. 3. num. 9. In supradictis verò unusquisque sequatur praxim Inquisitionis suæ.

6. Quibus verò aliis pœnis supradicti plectantur in nostro Tribunali Hispanico, testatur Salzedo in addit. ad pract. crim. Diaz cap. 8. lit. B, ubi sic ait: Ab Inquisitoribus hoc crimen perpetrantes fustibus cædi solent, cum relegatione ad tempus, ut testatur Simanca in cathol. instit. in Enchiridio tamen asserit quod plebei flagellis cæsi ad triremes condemnantur; si verò nobiles fuerint, aliæ justæ pœnæ imponuntur, & quod ad triremes faciendâ sit condemnatio, decretum fuit à supremis sacræ Inquisitionis Senatoribus. Ita Salzedo, & Humada in leg. 60. tit. 6. p. 1. ad text. n. 3. qui non assignant tempus triremium, neque pœnas imponendas nobilibus, & etiam mulieribus, sed hoc facit Soula in aphor. Inquisit. lib. 1. cap. 35. n. 20. sic asserens: Regulariter personæ viles fustigantur, & ad triremes per quinquennium mittuntur. Honestiores verò & mulieres per idem tempus relegantur, aliis autem poenitentis spiritualibus impositis. Simanca etiam tit. 40. n. 6. docet plebeios per quinquennium damnandos esse ad triremes; & Castrus ubi infra, hoc etiam docet, addens nobiles præter exilium pœna pecuniaria damnari posse.

7. Non desinam tamen hic adnotare quod si adsit aliqua præsumptio in favorem rei, nempe quia propter longam absentiam unius conjugis dicebant defunctam esse, loco fustigationis & triremium damnandus est ad exilium & pœnam pecuniariam.

8. Notandum est etiam hic supradictas pœnas incurrrere consulentem aliquem, ut binas nuptias contrahat, & ita observat Emanuel Moura de incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 6. n. 1. se vidisse in praxi, eadem pœna damnatam matrem consulentem filiam, ut secundò nuberet, ac ipsam filiam; quia non minor contra matrem ita concurrentem suspicio non bene sentiendi de matrimonio insurgebat, quàm contra filiam. Ita ille, quod perpetuò tene menti.

9. Nota etiam supradictos non esse ita puniendos, si antequam testificati sint, seipsos Inquisitoribus detulerunt, sed quibus pœnis in tali casu sint plectendi, docet Castrus Palau in summ. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 16. §. 8. n. 2. Putarem primò, ait, in carceribus secretis recludendos non esse, dum ejus causa agitur, sed in aliqua particulari domo, ut Compostellæ observatum vidi. Secundò existimarem, etiam si plebeius sit, flagellis non debere cædi, sed exilio, aliquave pœna pecuniaria condemnari, & idem dicendum de eo qui

aliqua apparenti ratione ductus de morte prioris conjugis probat secundum matrimonium contraxisse. Sic Castrus, & ego.

10. Sed hic obiter inquirendum erit, an sit denunciandus, & subijciatur supradictis pœnis, si quis habens vivam uxorem, deveniat ad actum proximum contrahendi cum alia, v. g. faciendo contractum dotis, denunciationis in Ecclesia, &c. Et negativè videtur respondendum per ea, quæ docet Soula in aphor. Inquisit. lib. 1. c. 35. n. 6. ubi tenet, contrahentem matrimonium cum prima, & sponsalia cum secunda, non esse suspectum de fide, nec posse puniri ab Inquisitoribus, sed ab Episcopo. Verum Romæ in Sac. Congregatione Sancti Officii supradicti, qui deveniunt ad actum proximum contrahendi secundum matrimonium, abjurant de levi, & puniuntur exilio, vel carceribus, seu aliis pœnis arbitrariis, & prius torquentur super intentione.

11. Quod quidem in Inquisitione Romana potest procedere, quia ibi polygami abjurant, ut visum est, de vehementi, unde pro attentantibus tantum polygamiam remanet abjuratio de levi in Inquisitione autem Hispanica hoc haberet difficultatem, cum cum ibi polygami abjurent de levi, si attentantes tantum polygamiam de levi etiam abjurent, puniretur delictum attentatum, ut delictum consummatum; & idò in casu occurrenti nescio quid in praxi observandum: unde optimum esset, si nostri Inquisitores determinationem hujus casus à supremo Hispaniarum Inquisitore exposcerent.

12. Notandum est tamen hic obiter cum Soula loco cit. n. 5. scienter contrahentem binas nuptias esse suspectum de fide, quamvis nullam uxorem carnaliter cognoscat; quod etiam docet Albertinus de agnoscen. quest. 23. n. 49. §. 5. & seg. num. etiam 60. & 66. & Farinacius de delictis carnis, q. 140. p. 1. n. 24. & 30. Secus autem si contraheret sponsalia cum duabus, quamvis eas carnaliter cognoscat, nam in tali casu non erit de fide suspectus, cum non contrahat matrimonium.

13. Et tandem pro coronide hujus resolutionis. Nota primo quod antequam in hoc crimine procedatur ad capturam, præcedere debet plena probatio, ut constet, reum uno eodemque tempore duas uxores habere, & licet reus seipsum detulerit, nihilominus per legitimos testes delictum probandum est, aut testimonium authenticum de libro Parochi, ubi adscribi solent; testes autem satis est ut dicant, mulierem habitam fuisse pro uxore rei, illumque eam tradidisse, ut communiter solent aliæ uxores tractari; scilicet vidisse, illos euntes ad Ecclesiam, & inde venientes, in una domo simul vivere ut conjuges, &c.

14. Nota secundò, quod conjugati, qui sine uxoris licentia in sæculo degentis suscipiunt Ordines sacros, sunt supradictis pœnis mulcandi, & habenda est ratio, qualis nationis sit, nam si esset illius, apud quem hæresis Lutheri viget, maxima præsumetur malitia, & vehemens suspicio, unde ei imponenda esset abjuratio de vehementi, & etiam tortura adhibenda, ut deregeret intentionem. Vide Canteram cap. 1. de hæret. num. 71. & Farinacium quest. 183. numero 71. & cap. 76.

RESOL. V.

De Clericis sacris Ordinibus initiatis, & de Religiosis matrimonium inveniuntibus?
Et an tales non solum committant sacrilegium, sed sint de hæresi suspecti, & qua pœna puniendi sint? Et

Et an contrahens matrimonium cum hæretica sit suspectus de fide, & contra illum Inquisitores possint procedere?

Et notatur, quod si professi aliam Religionem, sic illi, qui ex Societate Iesu vota biennia emisissent, si matrimonium postea contraherent, præterquam quod matrimonium esset irritum, subijciuntur supradictis poenis, & abjurant? Ex p.4. tr.7. Ref. etiam 5.

§.1. Tales non solum committere sacrilegium, sed esse de hæresi suspectos, tradit Emanuel de Mouta de incant. opusc. 1. sect.3. cap.3. n.9. Ioseph Sesse tom.4. decis.449. n.3. & 9. Soula in aphor. Inquis. lib.1. cap.8. n.16. Peyrinus in privi. Minim. tom.2. constit.9. Pauli V. §.2. n.20. Leone de potest. Confess. p.1. recol.2.2. n.15. cap.24. Rodriq. in qq. Regul. tom.3. q.1. art.1. Direct. Inquis. p.2. q.49. & ibi Pegna comm.74. Paramus de orig. Inquis. lib.3. q.10. n.75. Hieronym. Rodriq. in compen. qq. Regular. resolut. 93. num.1. & alij penes ipsos.

2. Sed difficultas est, qua poena puniendi sint? Didacus Cantera Inquisitor Murcia, vir doctissimus, & nunquam satis laudatus, in qq. crimin. cap.1. de hæresi. n.71. sic ait: Certè propter suspensionem credo, quod fieret instantia, & poneretur ad torturam, & si vinceret remaneret probatio aliqua, abjuraret de levi, & deportaretur ad arbitrium iudicis, & si colligeretur maxima malitia & suspicio in fide, abjuraret de vehementi, & ita practicare. Hæc Cantera cuius doctrinam confirmat opinio Simancæ in Enchirid. tit.12. num.1. asserentis, Religiosum contrahentem binas nuptias esse vehementer suspectum de hæresi.

3. Verum hodie stylus nostræ Inquisit. Hispanicæ communiter supradictos non torquet, sed ut observat Castrus Palas in sum. tom.1. tract.4. disp.8. pun.16. §.8. num.4. illos punit eadem poena, qua puniuntur contrahentes binas nuptias, & graviori ob suspicionem Lutheranae hæresis. Ordinariè igitur imponerem abjuramentum de levi, & ad tritimes ad minus per quinquennium damnares, nisi talis qualitas personæ & circumstantiæ concurrerent, ut etiam necesse fuerit reum torquere, & abjuramentum de vehementi imponere, & augere poenam ad tritimes: ut si v. g. Clericus, seu Monachus esset de provincia infecta Lutheranae hæresis, & in hoc casu puto sequendam esse opinionem Canteræ & Simancæ ubi supra, nam persona redditur suspecta respectu suæ regionis, ut optime observat Sesse in decis. regni Arag. tom.4. decis.452. num.4. & alij.

4. Notandum est etiam hic obiter contrahentem matrimonium cum hæretica esse suspectum de fide, & contra illum Inquisitores posse procedere. Ita Sanctarellus tract. de hæresi. cap.41. dub.3. n.1. & Cantera in qq. crim. cap.1. de hæresi. n.1. & Glossa in cap. decrevit. de hæresi. in 6. & ibi Io. Andreas n.1. Geminianus n.2. & Francus num.1.

5. Notandum etiam, sicut professi alienam Religionem, sic illi qui in Societate Iesu vota biennij emisissent, si matrimonium postea contraherent, præterquam quod matrimonium esset irritum, subijciuntur supradictis poenis & abjurant.

RESOL. VI.

De retinentibus, & legentibus libros Hæreticorum, Necromanticorum, Pentacula, &c. an sint puniendi tanquam hæretici?

Et an legentes, & tenentes libros Astrologiae iudicariae, & libros prohibitos etiam si non sint libri hæreticorum, possint ab Inquisitoribus puniri?

Tom.V.

Et an Indei, & alij infideles commorantes in terris Christianorum, qui retinere, habere, legere, vel exemplare, advehere, donare, communicare, vel alienare ausi fuerint Libros, & Codices Talmudicos, Cabalisticos, & alios nefarios, &c. puniendi sunt arbitrio Inquisitorum?

Idem dicendum est de Typographis, & Bibliopis, seu mercatoribus? Ex p.4. tr.7. Ref. etiam 6.

§.1. Retinentes hæreticorum libros, & legentes, & puniendos esse tanquam hæreticos, docet Carrerus tract. de hæresi. n.125. & alij Iuriconsulti, quos refert, & rectè improbat Torreblanca de Magia lib.3. cap.15. n.31. Simanca tit.38. num.23. & Lorca in 2. inter princip. D. Thom. q.11. art.4. disp.48. n.4. cum aliis communiter. Dicendum est igitur, supradictos esse tantum suspectos de hæresi leviter, vel vehementer, seu violentè, juxta personarum & facti qualitatem, ut rectè observat Merolla in disp. Theol. tom.1. disp.1. cap.2. diff.6. n.373. Soula in Bull. Cæn. cap.2. disp.16. n.4. Azorius tom.1. lib.8. cap.16. q.10. Zecchius in sum. tom.1. tract. de hæresi. cap.11. n.5. Paramus lib.3. q.9. n.147. Zanchinus de hæresi. cap.7. num.7. & seq. Burfatus lib.1. conf.90. n.10. Delrius in disquis. mag. lib.5. sect.17. Soula in aphor. Inquis. lib.1. cap.21. num.37. & alij penes ipsos.

2. Sed audiamus doctum Carreram in qq. crim. tr. de hæresi. n.64. sic asserentem: An libri inventi penes aliquem, probent illum esse hæreticum, & puniatur tanquam hæreticus? Distinguo, aut libri sunt compositi ab illo, in cujus potestate inveniuntur, vel est obnoxius illis libris, quia tenet quod illi tenent, & tunc videtur, quod puniatur poena hæreticorum, quia talis liber probat eos esse hæreticos. Sed in hoc etiam credo, quod debeat constare, quod tenet quod libri tenent, vel aliquam hæresim illorum librorum; & sic non solum ex eo quod talis liber inveniatur penes eum, est iudicandus hæreticus; aut libri non sunt compositi ab illo, penes quem inveniuntur, nec constat illum esse obnoxium in illis libris, & tunc distingue quod aut ille, penes quem inveniuntur, est homo bonæ famæ, & non punitur, quia non est suspicio contra eum, aut est malæ opinionis, & ex qualitate ipsius personæ, & librorum procederetur actius, vel mitius, & posset etiam esse vehementer suspicio contra eum, vel minor. Ita ille, & ante illum Albert. q.28. n.25. & 26. & Simanca tit.30. n.24. ubi licet asserat probabilem esse opinionem illorum, qui aiunt suspectos esse de fide illos, qui libros hæreticorum habent, tamen ipse plurimum arbitrio iudicum tribuendum censet, nam ex personarum, & librorum qualitate, aliisque circumstantiis causa cognita, in unaquaque specie, melius statuere poterunt.

3. Verum deveniendo ad poenas, non desinam hic apponere verba Pegnæ in direct. Inquis. part.2. comm.3. sic asserentis: Falchodius & Archidiaconus purificationem talibus inducendam admonent, quam interdum ex causa imponi posse non ambigerem, hoc sit certum, poenitentiam esse imponendam, nunquam acriorem, aliàs verò leviorē pro qualitate, & modo delicti, & delinquentium. Nos aliquando post abjuramentum jejunia, orationes, & peregrinationes imponi vidimus. Ita Pegna, qui non asserit quam abjuramentum fuisse, sed puto abjuramentum de levi, & ita esse in usu deductum, docet Suarez tract. de fide disp.24. sect.2. n.4. Videtur enim, ait, fieri abjuramentum de levi, si quis legit librum hæreticum. Sic ille. Verum Merolla ubi supra, & Farinacius de hæresi. q.180. num.9. in fine, asserunt supradictos reos abjurare de vehementi, & pro sola retentione hos de levi abjurare testatur Genuentis in praxi Archiep. cap.68. num.12. ubi sic ait: Servatur in Curia, quod si apud aliquem reperiuntur libri Hæreticorum, Necromanticorum, Pentacula, & similes scripturæ